

retrocesserim et a recto itinere deviaverim, postquam a te discessi,  
 ipse michi conscius sum, qui hinc blandimentis etatis, hinc errore  
 huius seculi, in quo vitia extolluntur, virtutes conculantur, ab-  
 ductus, meis precipue urgentibus ut solita eorum vestigia inse-  
 querer, ceptum iter pene deserui et in communes opiniones labi  
 me permisi. tanta tamen fuit celi benignitas tantusque tue reve-  
 rentie respectus ut, multis vi retinentibus cursumque turbantibus,  
 quibus obsistere vix quisquam valeret, tardari potuerim sed nequa-  
 quam detineri quin solitum iter agerem. crebro autem imploravi  
 10 absens subsidia tua, pater, quibus hec noxia retinacula dissolverem,  
 ut qui viribus et presentia adiuvare non poteras, absens litteris et  
 monitionibus hortareris. in quo quidem, si pateris et benignus<sup>(a)</sup>  
 veniam das, paulum de te querar quod totiens obnixe rogatus, tot  
 repetitis litteris fatigatus, nunquam dedisti quod legerem. occu-  
 15 pationes tue pro republica, quas nec pretermitti debere arbitror  
 cum patria postulet, nimium michi adverse sunt; sed et his ali-  
 quando vacuus es; id michi otii dede. nullus dies sudandus, nulla  
 nox tibi vigilanda est. disputationem de virtute, qualem crebro  
 in conventu presentium habere soles, litteris adhibe. copiosus ex  
 20 hoc michi liber erit abundansque doctrina<sup>(b)</sup>, cui nulla prestet anti-  
 quitas. quod si memineris quam crebro ad te venire, cum pre-  
 sens essem, quam avide te audire<sup>(c)</sup> vocesque tuas reponere suetus  
 sim, atque ex hoc existimaveris quantum michi ex carentia harum  
 delectationum desiderii advenerit postquam abii, affectibus meis  
 25 placidus consules, nec patieris diutius hac me expectatione la-  
 borare. vale, vir celeberrime et pater optime. Padue, .xviii. au-  
 gusti<sup>(d)</sup> 1391.

nella via dell'errore.

Laonde lo prega  
di non dimenticarlo  
e di ricambiare le  
sue frequenti lettere con qualche  
ammontimento

che lo indirizzi alla  
virtù.

(a) *G* in marg.: «benignum in CP».

(b) *P* doctrine

(c) *Codd.* tu audire

(d) *P* idibus augusti